

„ tione est; datque sedulo o-
 „ peram, ne ullam pulsanti
 „ Domino moram faciat, &
 „ ne quid intra pectoris sui
 „ domum sit, quod oculos in-
 „ trantis offendat. „ In quo
 quidem opere sic intentus est,
 ut nusquam alio declinet, &
 numquam ita rebus ad hujus
 vitæ usum pertinentibus pro-
 spiciat, ut hanc a se curam ab-
 jiciat. Quem quidem animum
 divus Hieronymus se habere
 testabatur, quum diceret: *si-
 ve comedam, si ve bibam, semper
 auribus meis vox illa insonare
 videtur: surgite mortui, venite
 ad judicium.* Neque enim quo-
 tidiana mors minus, quam ex-
 tremum illud judicium, perti-
 mescenda est: quando quod de
 unoquoque nostrum in morte
 definitum fuerit, stabile & im-
 motum in extremo illo iudicio
 erit. Ideoque tanta cura Do-
 minus paratos nos ad hunc
 primum ejus adventum inve-
 niri vult. Quia vero ejus hora
 incerta est; nec enim satis con-
 stat, an prima, an secunda, an
 tertia vigilia venturus sit: id-
 eo quisquis paratus inveniri
 vult, in omnibus vigiliis ex-
 peditus esse debet; alioqui, si
 in aliqua dormierit, periculum
 est, ne in illa veniens Domi-
 nus, dormientem atque impa-

raturum deprehendat, quod pe-
 riculorum omnium maximum
 est.

Hoc autem appositissima
 deinde similitudine Dominus
 declarat atque confirmat. *Si e-
 nim, ait, sciret paterfamilias,
 qua hora fur veniret; vigilaret
 utique, & non sineret perfodi
 domum suam.* Hoc est, illa qui-
 dem hora sollicitè vigilaret,
 ceteris vero citra periculum
 dormire & requiescere posset.
 Quia vero de hora adventus e-
 jus incertus est, & periculum
 timetur; tota illi nocte vigi-
 landum est, si domum suam
 ab hoc periculo indemnem ser-
 vare velit. Hoc est autem quod
 in sacræ hujus lectionis sine
 Salvator indicat, quum tan-
 dem concludit: *ideo & vos e-
 stote parati; quia qua hora non
 putatis, filius hominis venturus
 est.* Hoc est, quia horam igno-
 ratis, omni hora vigilare de-
 betis. Idcirco autem, ut D.
 Gregorius hoc in loco ait,
 „ horam ultimam voluit nobis
 „ esse incognitam, ut eam sem-
 „ per haberemus suspectam;
 „ ut dum illam prævidere non
 „ possumus, ad illam sine in-
 „ termissione præparemur. Sic
 „ enim mors ipsa, quum ve-
 „ nerit, vincetur, si prius quam
 „ veniat, semper timeatur.

Quan-

Quantum autem nostra in-
 terfit, perpetuo vigilare, non
 obscure Salvator ostendit; qui
 toties nos in evangelio hortat-
 ur, ut attente vigilemus, &
 de salute nostra solliciti simus,
 utque omnem a nobis inertiam
 atque segnitiam diligenter ex-
 cutiamus. Hinc apud Mat-
 thæum, (a) *vigilate*, inquit,
*quia nescitis, qua hora Dominus
 vester venturus sit.* Et apud Lu-
 cam: (b) *vigilate itaque omni
 tempore orantes, ut digni habea-
 mini, fugere omnia ista que ven-
 tura sunt, & stare ante filium
 hominis.* Et apud Marcum ad-
 huc instantius: (c) *videte, vi-
 gilate & orate.* Et: (d) *quod vo-
 bis dico, & omnibus dico, vigi-
 late.* Causam autem hujus to-
 ties repetitæ admonitionis sub-
 jungit, quum subdit: (e) *quia
 nescitis, quando tempus erit:* hoc
 est, ut alibi explicat, (f) *quia
 nescitis, qua hora Dominus ve-
 ster venturus sit.* Quid igitur
 deinde? Nimirum quia tota sa-
 lus vestra in hoc præcipue po-
 sita est, ut hora illa vos expe-
 ditos atque paratos inveniat.
 Quod aperte illa decem virgi-
 num parabola indicat: (g) qua-
 rum quinque paratæ, quinque
 vero imparatæ erant; & quæ

paratæ erant, intraverunt cum
 sponso ad nuptias, & clausa est
 janua; quæ vero tum primum
 parari cœperunt, oclusam ja-
 nuam inventientes, foris per-
 petuo remanserunt. Magister
 ergo cælestis, qui ut judex ho-
 minum, ita mediator & ama-
 tor est, hujus tanti periculi
 præsciis, opportune nos hu-
 jus vigiliæ admonet: ut qui
 probe norat, salutis nostræ
 negotium in hac præcipue
 tempestiva præparatione situm
 esse.

Quid igitur? an non satis
 est, quum judex ad januam
 pulsaverit, tunc primum vigi-
 lare ac parari? An non vide-
 mus, multos, qui improbe vi-
 xerunt, quum aliquo morbo
 graviter vexantur, magna ve-
 ræ contritionis atque compun-
 ctionis signa edere? & magno
 gehennæ atque divini numinis
 metu concuti? & mundi glo-
 riam, atque terrenas opes, ut
 fragiles & caducas, pro nihilo
 ducere? & liberaliter eas te-
 stamento aliis legare? Omnia
 autem hæc non vulgaria veræ
 poenitentia signa sunt. Vide-
 mus hæc plane. Verum hæc o-
 mnia in his, qui tota vita im-
 probe vixerunt, dubium est, an

a

(a) *Matth. 24. 42.* (b) *Luc. 21. 36.* (c) *Marc. 13. 33.* (d) *Ibid.*
v. 37. (e) *Ibid. v. 35.* (f) *Matth. 24. 42.* (g) *Matth. 25. 1. seqq.*

a sola morbi angustia, an a divina gratia proficiantur. Afflictio namque urgentis morbi futurarum poenarum acerbiter, quæ ipsa morte sunt acrior, ante oculos ponit. Mortis vero impendentis metus, & antea vitæ ratio reddenda, timorem divinæ severitatis incutit. Terrenas autem opes contemnere relicturum, difficile non est. Morbi autem cruciatus, quem solus ille cælestis medicus curare, & hominem ab illa gravi vexatione liberare potest, ipsum Deo subicit atque prosternit, qui solus potest in tantis malis remedio occurrere. Omnes igitur hos affectus, graves & incurabiles morbi, nisi homo mente captus sit, in christiano pectore solent excitare. Sed si cælestis gratiæ virtus desit, quæ hos pios affectus conservet, abeunte morbo, ipsi quoque simul cum morbo abeunt. Sicut enim extincta lucerna, quæ domum illuminabat, lumen etiam cum illa deficit: ita sublata illa causa, quæ hos animi motus excitabat, motus quoque ipsi cum illa evanescent & pereunt. Quam rem quotidie in hujusmodi poenitentibus cernimus, & quasi mani-

bus contrectamus. Recepta enim sanitate illico ad assuetam redeunt; & quæ vel fieri, vel restitui, atque refarciri præcipient, revocant. Quocirca sapientissimus ille arbiter, cui omne cor patet, & omnis cogitatio loquitur; qui (a) spirituum ponderator, qui (b) *discrator est cogitationum & intentionum cordis*; hujus extremæ poenitentiae periculum agnoscens, in quo non res pecuniaria, aut pecuniaria, sed æterna vita in discrimen vocatur, nolens nos in re tanti momenti negligenter agere, toties nos ad vigiliam & sollicitudinem, ac animi preparationem invitatur. Hoc igitur agamus, fratres, in hoc unum totis viribus incumbamus, hoc dies noctesque meditemur, hæc sit prima curarum, primum omnium studiorum atque negotiorum, cui cetera omnia servire debent. Ad hoc enim a summo illo & sapientissimo opifice Deo conditi, ad hoc pretioso ejus sanguine redempti, ad hoc tot beneficiis aucti atque servati, ad hoc denique tamdiu patienter & misericorditer expectati sumus; frustra victuri, si omnia alia agentes, hoc unum negligamus; felicif-

(a) Prov. 16. 2. (b) Hebræor. 4. 12.

sime autem victuri, si ceteris neglectis, vel postremo loco habitis, hoc unum diligenter curemus, unde beatitudo atque felicitas nostra, unde vera salus, & sempiterna vita pendet, quæ vigilantibus ser-

vis parata est. Ad quam nos clementer perducere dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* * * * *

IN FESTO
ALICUJUS S. CONFESSORIS
CONCIO SECUNDA,
IN QUA, POST EVANGELICÆ LECTIONIS
explanationem, octo simplicitatis christianæ
gradus describuntur.

THE. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Luc. XI. 34.

*** N sacra hujus diei le-
* I * ctione, fratres, du-
* * plicem nobis cæle-
*** stis magister lucer-
næ similitudinem proponit:
quarum altera communis ad
totius mundi salutem, altera
privata ad cujusque nostrum
salutem pertinet. Prior illa lu-
cerna, Christus Dominus est,
supra ecclesiæ candelabrum po-
sita, quæ (a) *illuminat omnem
hominem venientem in hunc
mundum*. Quamvis enim is in

hoc præcipue e cælis ad terras
delapsus fuerit, ut peccata nos-
tra in ara crucis expiaret, nos-
que, passionis suæ merito, Patri
suo, a quo dissidebamus, re-
conciliaret; tamen hoc bene-
ficio non contentus, modis om-
nibus salutem nostram pro-
movendam curavit. Inter ea
vero beneficia, doctoris & ma-
gistri officium præcipue nume-
ratur; de quo Isaias olim vati-
cinatus est: (b) *erunt, inquit,
oculi tui videntes præceptorem
tuum,*

(a) Joan. 1. 9. (b) Isai. 30. 20. 21.